

Barbosa. Gutierrez. M. Cornejo. Avila. Sayrus. Suarez.

Ita Barbosa de potestate Episcopi part. 2. alleg. 8. num. 24. Gutierrez Can lib. 1. c. 26. num. 14. & 25. M. Cornejo de suspens. disp. 3. dub. 1. dict. 1. Avila part. 3. disp. 6. conclus. 4. Sayrus lib. 4. cap. 16. n. 24. Suarez de censuris disp. 26. sect. 1. n. 19. & 20. & disp. 31. sect. 1. num. 32. in fine. Salzedo in praxi, cap. 26. littera E §. 4. Nec illud Zerola in praxi, part. 2. verb. Demissorie, pag. 4. §. 1. Qua pena. Bonac. de suspens. in particulari, disp. 3. quest. 1. punct. 11. num. 28. Fragofus part. 2. lib. 8. disp. 18. §. 2. n. 8. verb. Resolutio. Leandrus de suspens. tract. 4. disp. 5. tr. 4. machardo tom 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. document 6. n. 1. Bellan. de Sacrament. disp. 15. dub. 13. num. 35. Diana part. 5. tract. 10. Resolut. 23. Alterus part. 2. de suspens. disp. 10. c. 1. dub. 4. §. Respondeo, in fine. Hurtad de suspens. disp. 12. n. 31. Castro Palans part. 6. disp. 4. punct. 9. n. 4. & multi alii apud ipsos, & tot Doctores citati ad removendum scrupulum Domini mei Episcopi.

23. C. Nuper.

Optimè probatur nostra conclusio ex cap. Nuper, de sententia excommunic. Ibi dicitur: Cum conditor Canonis absolutionem sibi non reservat, tacite inferiori concedit. Et quamvis Textus loquatur de excommunicatione, tamen eadem ratio militat in suspensione; & ratio assignata in Text. cur talis potestas ad absolvendum detur inferiori, non est quia excommunicatio impedit suffragia, sed quia conditor Canonis absolutionem sibi non reservat, quod locum habet in suspensione. Deinde probatur hac ratione. Datur discrimen inter censuram reservatam, & non reservatam, quod nullum aliud est, nisi quod in reservata voluit Superior, ut à nullo alio daretur absolutio, nisi ab ipso, in non reservata voluit, ut ab alio posset dari absolutio.

24. Trident.

Et in proposito casu, quod ille, qui ordinatus sine demissoria possit ab Episcopo dispensari constat ex Concilio Trid. sess. 23. c. 8. de Reform. ubi ad finem ait Concilium, Ordinatus ad susceptorum Ordinum executionem, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Ubi juxta mentem Concilii à proprio ordinario. Quædam Declaratio Cardinalium sic habet: Talem ordinatum absol. verè pertinet ad illum Episcopum, ad quem pertinebat, dare demissorias.

25. Pius II.

Nec contra hoc facit Bulla Pii II. que incipit: Cum ex sacrorum, quia præterquam quod absolutio dispensationis non sit reservata, prædicta Bulla revocata est à Clemente VIII per aliam, que incipit: Romanum Pontificem, & eam reducit ad terminos juris communis, ut notant Barbosa de Episcopis part. 2. allegat. 8. num. 24. Bonacina de censuris, in particulari, de sp. 3. quest. 1. punct. 11. num. 28.

26.

Ad argumentum in oppositum adductum pater solutio ex dictis in conclusione: ad id, quod dicitur de Parocho, quia nec ipse, nec alius Confessor Ordinarius potest talem suspensionem tollere, quia tantum habent jurisdictionem in foro interiori, seu sacramentali, in quo nequeunt suspensionem auferre, quamvis valeant excommunicationem, quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis sicut impedit excommunicatio.

QUESTIO III.

An suspensus ab ordine inferiori censeatur & habeatur suspensus ab Ordine superiori, at illum exercens incurrat irregularitatem, & mortaliter peccet?

SUMMARIUM.

- 27. Suspensus à majori non est suspensus à minori.
28. Prima sententia negat.
29. Tamen eorum fundamentum non convincit.
30. Aliqui concedunt, si unus ordo potest exerceri sine alio.
31. Opposta sententia vera, licet mortaliter peccet.
32. Optimè probat M. Cornejo.

Suppono quod ille, qui est suspensus à Superiori Ordine, non inde est suspensus ab inferiori: nam qui suspensus est à Sacerdotio, ne Missas celebret, nec inde sequitur quod sit suspensus à Diaconatu, vel Subdiaconatu ut non valeat unam Epistolam, vel Evangelium cantare: nam qui prohibet majus, non prohibet id quod minus, & talis prohibitio est odiosa, ac proinde non est imponenda sine expresse jure, quod in præfenti non datur.

Tota questio est, an suspensus ab inferiori ordine, valeat recipere & exercere actum Superioris Ordinis? Multi graves Doctores negant, quia Ordo inferior supponitur à Superiori, tanquam illius fundamentum: ergo sublato ipso fundamento, seu ordine inferiori, corrumpitur, & non persistit illud, in quo innititur.

Tamen ratio non multum convincit: nam Sacerdos, qui manibus, ac pedibus caret, non valet missam celebrare, nec Evangelium, vel Epistolam in ipsa Missa canere, & tamen bene potest confessiones audire, & tamen decenter celebranti, non valet ministrare, ut Diaconus, vel ut Subdiaconus.

Unde multi Doctores apud Suar. tom. 5. ad p. 3. disp. 26. sect. 4. n. 8. dicunt hoc licitum esse, quando actus Ordinis Superioris potest exerceri & fieri, sine interventu actus Ordinis inferioris, non verò quando illum involvit, ex quo inde inferunt, quod suspensus à Diaconatu potest audire confessiones, baptizare solemniiter, &c. non tamen Missam celebrare, quia tunc cum stola, & manipulo debet legere Evangelium, quod est actus Diaconatus, & hanc sententiam dicit Suarez probabilem.

Probabilior est tamen oppositam sententiam, ut etiam nobis videtur, & eam tenent M. Cornejo tom. 2. tract. 5. disp. 1. de suspens. dub. 2. q. 3. §. Limitatur, hæc Egid. Coninch. disp. 15. dub. 2. n. 10. Præpositus p. 3. q. 3. de suspensione dub. num. 15. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. c. 1. n. 6. Diana part. 5. tract. 10. Resol. 5. licet iste talis exercens actum Ordinis Superioris, cui Ordo inferior est prohibitus, valde indecenter agat, & contra rectum Ordinem, ac proinde peccare mortaliter videatur; tamen juxta prædictos, Auctores irregularitatem non incurrit, quia iste talis non facit aliquid directè sibi per censuram prohibitum, sed per

27.

28.

29.

30.

31.

32.

Cornejo. Coninch. Præposit.

Diana.

32. Cornejo.

Cap. Cum voluntate.

Cap. final.

Glossa.

per quandam connexionem, ac consequentiam illius, ad quod non est impeditus, & suspensus, irregularitates, & pœnæ non sunt extendendæ ultra casum expressum in jure, quæ sunt intelligenda, quando per se solum exercet talem actum, v. g. ut Diaconus cantat Evangelium. Et hoc totum optimè probat M. Cornejo, quia talis suspensio fuit tantum determinata à tali ordine inferiori: quia censura ex ferentis voluntate pendet. Argumenti, cap. Cum voluntate, de sententia excomm. & l. Si quis, ff. si certum petat, ab eo tantum suspensus erit à quo lex, vel iudex suspendere voluit, sicut Episcopus, qui primam tonsuram illiterato conficit, ut habetur cap. fin. de temporibus ordinationum, in 6. collatione tantum primæ tonsuræ suspenditur, & non à collatione tantum Superiorum ordinum, ut notat Glossa in dicto cap. final. verb. Dumtaxat, quia sic Pontifex ita velle significavit, ut secundum rectum ordinem in eo puniatur, in quo peccavit, sic & hic in præfenti dicendum.



RESOLUTIO. I. De Testibus.

QUESTIO PRIMA. An in judiciis Regularium nomina testium sint manifestanda?

SUMMARIUM.

- 1. Questio hæc maxime agitata quotidie.
2. In levibus causis & ubi nullum reo est periculum non sunt publicanda.
3. Si Religiosus accusatur à secularibus, nomina publicanda.
4. Si per statum Religionis est prohibitum, ut testium nomina non publicentur, non sunt publicanda.
5. Multi Auctores tenent, quod etiam in causis gravissimis Religiosorum, non sunt testium nomina publicanda.
6. Probatur tum ex statuto Toletano, tum ex jure, & n. 7.
7. Alii Auctores tenent, quod in causa gravissima sint danda, quod probatur ex cap. finali, de Hæreticis.
8. Judex multa prudentia, ac Dei timore in hoc negotio procedat.

1. Diana.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

Hæc questio valde frequenter est agitata in hac Regia Civitate circa Tribunal Illustriss. D. Nuntii, & ait Diana citandus, quod dum scriberet, maxime casus præsens ventilabatur in Congregatione deputata pro negotiis Episcoporum, ac Regularium, & ut clarè procedamus certa ab incertis separemus proculparum, ac testium diversitate & Religio nam & Constitutionum.

Et primò conveniunt Auctores, quod in levibus causis; in quibus nullum reo imminet periculum, nec in honore, nec fama, nec in his, quæ ad ejus usum pertinent, valde prudenter facit superior, qui denunciatorum, & testium Sylveira O puscula.

nomina occultat, id enim maxime conducit ad animarum tranquillitatem, & pacem, inter Religiosos conservandam, e contrario justè timeri possunt rixæ, & odia, in Religionis perniciem, & perturbationem excitanda.

Secundò, supponendum, quod quando Religiosus accusatur ab extraneis, ac laicis, ei sunt manifestanda testium nomina ut tenent Rodriguez tom. 2. q. 3. art. 1. in fine, & q. 13. art. 1. in fine. Diana part. 11. tract. 3. Resolut. 7. Diana in fine, §. Deinde nullo. Quia laici multoties Religiosus infesti sunt, & valde verendum est, ne per injuriam eos falsis accusationibus, & depositionibus opprimere conentur, cap. Laicos, cap. Laici 2. part. 7. & cap. de exero, de Testibus.

Tertio, suppono, quod si per statum Religionis prohibetur, ut testium nomina pro pace conservanda publicentur, tunc non sunt danda: nam in tali eventu cum tota Religio in tali statuto consentiat, ut tollitur, etiam si aliquis particularis Religiosus reus læsionem aliquam patiat, non revelatis sibi testium nominibus, id non obstat, quia parva huic læsioni videtur renuntiasse per tale statum Religionis, quam voluntariè elegit, & in hoc casu magis præponderat bonum commune pacis totius Ordinis, quam parva læsio ipsius particularis in cognoscendo teste sibi contrario, cui parva læsioni renuntiat per tale statutum, & majus est quod faciunt Patres Carthusiani, qui per statum generale abstinere à Carnibus, etiam in hora & periculo mortis, quia pro bono communi totius Religionis renuntiant bono proprio vitæ conservandæ per alium carnis in bonum commune Religionis, & etiam aliud exemplum tradit Sanchez, tom. 1. in Decalog. lib. 6. cap. 18. num. 43. & sequentibus, ubi probat licitum esse in aliqua Religione statutum, ut crimen secretum in certa materia reveletur Prælato (maximè quando Prælatus est gravis, pius, ac prudens) idque non præmissa correctione fraterna: quia inquit tota Religio, & quilibet Religiosus renuntiat vii juri suo, ut prius corrigatur per correctionem fraternam, quam denuncietur Prælato, quod probat proximè citato exemplo Carthusianorum & pro hac sententia citat Bannez, Valentiam, Petrum Ledesnam, & Ribadeniram. Si hoc licet Carthusianis, & aliis in denuntiatione delicti secreti, modo prædicto, ratione statuti facti in sua Religione; à fortiori licitum erit, si talis Religio statutum habeat, ne testium nomina publicentur, pro majori pace, & quiete conservanda in Religione, in hoc minus periculum imminet, quam in duobus proximè citatis exemplis. Ita Porrel, tom. 7. Respons. Moral. part. 1. casu 15. n. 14. & pro hoc etiam facit Rodriguez tom. 1. questione 3. art. 1. ad finem citat. Hostiensem, & alios.

Tota difficultas est, an causis criminalibus gravissimis, in quibus de gravissima punitione Rei agitur, gravissimèque ejus fama, & honor periclitatur, tunc testes sint publicandi. Communis sententia est, quod testes non sint publicandi. Ita Rodriguez citatus Alderete de Religiosa disciplina tuenda, lib. 1. cap. 24. num. 8. & 9. Pellizarius tom. 2. tract. 9. cap. 4.

Sanchez. Bannez. Valentia. Ledesma. Ribaden. Porrel. Rodrig. Hostien. Alderete. Pellizari.

0 0 2 cap. 4.

Vict. Manc. Portel.

cap. 4. sect. 1. n. 115. Victorinus Mancus de modo procedendi, cap. 7. n. 8. Portel. citatus eodem, n. 12. Ita mordicus hanc sententiam adheret Miranda q. 1. art. 1. concl. 2. ut dicat quod in hac parte procedendum est in causis Religiosorum, ut in causis fidei, quod non videtur probandum, quia crimen hæresis est omnium turpissimum, ac maxime execrabile, & quod in eo observatur, non in quocunque alio crimine est observandum.

6. Statutum Toletan.

Probatur primò, quia in Ordine Minorum datur statutum generale Toletanum, quod Prælatus non dent Reo nomina testium, nisi fortè quando viderint periclitari justitiam Rei in gravissima causa, quod statutum à Sede Apostolica est confirmatum, teste Portel. in dubiis Regular. verb. Correctio fratrum. §. Judex, n. 12. & tale statutum non fuisset edictum, ac promulgatum à Patribus tam doctissimis Religionis tam gravissimæ, nisi esset justum, sanctum, ac laudabile ad multa odia, controversias, ad diffensiones evitandas; aliter enim non fuisset confirmatum à Sancta Sede Apostolica.

7. Honor. III.

Probatur secundò, ex cap. finali de Monach. statu. ubi expressè Honorius III. determinat, quod in causis Regularium procedatur absque judiciorum strepitu. Ut nempe in prædictis Regularium causis servetur substantia juris, non verò illius apices, ut pro majori quiete Religionis concessit Bonifacius VIII. ut referam infra, quest. 4. quod autem revelatio nominum testium non pertineat ad substantiam juris probatur ex praxi Rectissimi Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, in quo exactissimè substantia juris observatur, & tamen in illo nomina testium non revelantur, ergo non sunt de substantia juris. Et confirmatur ex cap. 2. Qualiter, & quando alias 25. de accusationibus. Ubi postquam Summus Pontifex ordinavit quod testium nomina ad Rei defensionem exhibeantur; Concludit tamen in fine capituli: Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum.

Bonif. VIII.

Tamen sunt graves Auctores, qui tenent quod in re gravissima, quando honor, fama, ac auctoritas Religiosi moleum periclitatur ob tacita testium nomina, quod ei sint publicanda, Ita Martinus de S. Joseph. in ordine judiciorum, c. 14. n. 1. Rojas singul. 140. Salzedo ad Bernard. Diaz. cap. 128. littera C. Nam Reus non est privandus convenienti medio ad sui defensionem: nam cap. finali, de hereticis in 6. ubi disponit Pontifex, ut testium nomina taceantur, ob magnum periculum, quod eis inde evenire potest, quod ibi explicat Glossa verb. Periculum, est mors propria, vel suorum, & devastatio substantiæ ipsorum. Tunc subdit Textus; Cessante verò periculo supradicto, accusatorum & testium nomina, prout in aliis sic judiciis, publicentur.

C. Qualiter

Unde hanc questionem concludo cum Diana p. 9. tract. 3. Resol. 7. Ut Regularis superior magna cum prudentia, ac Dei timore consideret gravitatem criminis, gravamen, & injuriam, quam patitur Reus, & etiam periculum imminens testibus, unde cum ipso Diana verbis Archidiaconi concludo. O tu quicumque Judex, in tali causa bene adverte verba ista, non dicit leve periculum, sed grave, noli igitur reus

Martin. Rojas. Salzedo.

Diana.

Archidiaconus.

privare debito juris ordine, sine magna causa quoniam hoc fieri non potest sine offensione Dei.

QUESTIO II.

An Prælati Regulares valeant compellere suos subditos ad jurandum in causis civilibus secularium?

SUMMARIUM.

- 10 Religiosus non potest jurare in judicio seculari sine licentia sui prælati, si juret tenet juramentum.
- 11 Hanc licentiam etiam dare possunt Prælati Conventuales.
- 12 Judices & Principes non possunt cogere Regulares ad jurandum.
- 13 Religiosi in Advenis ut sua, v.g. triticum relaxentur à gabellis, tenentur jurare verum ad mentem prepositorum.
- 14 Si Religiosi coacti jurant in causa sanguinis, non contrahunt irregularitatem.
- 15 In causa civilis ad jurandum non possunt cogi à suis Prælatis, quidam negant.
- 16 Probabilius alii affirmant.

Ad hoc ut Religiosus sit testis alienus in causis judicialibus in judicio laico, ac seculari, requiritur licentia sui Superioris, quia Religiosus mortuus est mundo; & non habet nec velle, nec nolle, nisi ex voluntate sui Prælati, de quo latè agit Sanchez lib. 6. Decalogi, c. 13. n. 21. Deinde quia cum Judex secularis non sit superior Religiosi testificantis, non potest ab illo exigere testimonium, & maxime cum juramento, nisi Religiosus se illi subiciat, ad quod necessaria est licentia proprii Prælati, ita Angelus verb. Testis n. 3. si tamen testificetur sine tali licentia, testimonium valebit. Cum nullibi sit irritum; & potius interpretanda est res ut valeat, quam ut peccet. Sylvest. verb. Testis, q. 1. Dist. 1. Molina tom. 1. de just. disp. 127. M. Lezana tom. 1. cap. 9. n. 161.

Hanc autem licentiam dare possunt non solum prælatus supremi, ut Generales, Provinciales, sed etiam Conventuales immediati, Priores videlicet, Guardiani, Rectores, cum verè sint Prælati, & habeant veram jurisdictionem in suos subditos, Ita Rodriguez tom. 2. q. 10. artic. 4. & 5. Portellus in dubiis Regular. verb. Abbas, n. 10.

Judices, ac Principes seculares non possunt cogere Regulares ad jurandum, sive in civilibus, sive criminalibus, non solum propter exemptionem, & immunitatem Ecclesiasticam ipsorum, sed etiam ob multa privilegia illis concessa, de quibus Rodriguez cit. q. 10. art. 2. Specialiter Eugenii IV. pro Cassinensibus in Bulla 7. n. 17. & Bulla 9. n. 13. apud eundem Rodriguez in Bullario inter Bullas ejusdem Eugenii Peirinus tom. 1. privileg. Minor. Constitut. 2. Julii XI. n. 149.

Obiter tamen nota, quod tam Præsides, quam emptores gabellarum possunt exigere juramentum à Regularibus, quod res, v.g. triticum, oleum, &c. quæ per Duanas transiunt nomine dictorum Regularium, sint ipsorum, & ad ipsorum ulum deputatæ, & tenentur dicti

10.

Sanchez.

Sylvest. Molina. Lezana.

11.

Rodrig. Peirin.

12.

Rodrig. Eugenius.

Peirin.

13.

Sylvest. Sanchez. Lezana. Bonacina. Gavarr.

Candidus

14.

Coninch. Præposit. Cornejo.

15.

Bordon.

16. Rodrig. Peirin. Lezana.

dicti Regulares ad mentem ipsorum exigentium juramentum jurare simpliciter, non utendo aliqua æquivocatione, vel amphibologia. Et ratio est, quia licet absolute non possint Judices seculares compellere ad jurandum Regulares; supposito tamen quod isti velint res illas, quas dicunt esse ad ulum proprium, sine solutione gabellæ relaxari, æquitas justitiæ postulat, ut ad jurandum liberè in veritate compellantur, maxime, quia illud vertitur in commune damnum Reipublice: nam tales gabellæ, & tributa ad illius sustentationem ac defensionem, ab inimicis pertinent. Ita Sylvest. verb. Jurament. 3. p. q. 2. & verb. Mendac. q. 6. Sanchez lib. 3. in Decalog. c. 6. n. 35. M. Lezana tom. 1. c. 11. n. 2. & citat Bonaciam, Gavarrum, & alios, idem dicendum in eo casu, quo Religiosi coguntur jurare à custodibus urbis tempore pestis; an veniant ex loco peste infecto, propter eandem rationem. Ita cum citatis Auctoribus Candidus tom. 2. disquisit. Moral. disquisit. 26. art. 3. dub. 8.

A suis tantum Prælatis Regulares possunt habere facultatem jurandi coram seculari Judice non tamen in causa sanguinis, ut est communis doctrina, alias incurrunt in irregularitatem: si verò hoc faciant urgente præcepto, vel gravi metu incusso, tunc cum non faciunt sponte, non contrahunt irregularitatem, ut tenent Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 10. n. 56. Præposit. q. 5. de irregul. dub. 13. n. 105. M. Corejo de irregularitate, disp. 14. dub. 1. Tamen semper præmittenda est protestatio. Ut supra dixi de accusatione.

An verò Regulares cogi possint à suis Superioribus ad testificandum in causa civili coram Judice seculari in re magni momenti, & ponderis est questio principalis. Negat Bordon. tom. 2. Resol. 38. n. 11. quia Superior Regularis, non potest aliquid præcipere suis Religiosis, ut sic titulo obedientiæ, quam illi promiserunt in sua professione, per quam se obligaverunt ad obediendum in iis quæ spectant ad statum Religiosum, juxta dispositionem regulæ, quam professi sunt, sed ferre testimonium in favorem secularium, non spectat ad statum Religiosum, nec in regulâ continetur, ergo præcipi non potest.

Opposita sententia mihi videtur verior, eam tenent Rodrig. tom. 2. q. 10. art. 2. Peirin. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 2. Julii II. n. 147. M. Lezana tom. 1. c. 11. n. 14. Quia multum interest ad bonum Reipublicæ, ac ad Dei obsequium, & gloriam, ut veritas pateat, ac manifestetur, & Religiosus ratione sui perfecti status astringitur ad procurandam Dei gloriam, & ejus obsequium, ac commune bonum; & ex his patet solutio ac fundamentum contrarium.

QUESTIO III.

Ad quid teneatur testis falsus, ex cujus testimonio multa damna sunt illata Reo?

SUMMARIUM.

17 Casus deplorandus. Sylveira Opuscula.

- 18 Si Reus jam erat convictus, non datur, obligatio restituendi.
- 19 Qui deposuit falsum non scienter nec ex lata culpa, non tenetur ad restitutionem.
- 20 Qui scienter, & ex notabili negligentia dedit testimonium falsum, tenetur ad restitutionem.
- 21 Testis falsus etiam cum magno periculo suo tenetur retractare suum dictum, si intelligit profuturum.
- 22 Maxime timenda opinio ejusdam Auctoris, Si revocatio non est profutura, non tenetur. Ibidem.
- 23 An si Reus dicat se parcere, & dimittere injuriam.

At Diana p. 4. r. 4. Resol. 99. quod in hac materia scribit cum magno animi dolore, quod ego etiam dico ob multos, & varios casus; qui ad manus meas venerunt, & non agimus de poenis in jure appositis contra falsarios ac perjuros, sed agimus de his, quæ spectant ad forum conscientia.

Primò, dicendum est cum Pitigiano in Practica criminali Canon de testibus c. 6. fol. 193. & Diana p. 3. tract. 1. Resol. 106. alias 105. Quod si Reus erat jam convictus per multos testes, & testimonium illius superveniens, nihil efficit, nec poena ex tali testimonio addita, nec inde Judex magis commotus est ad penam infligendam, quia tamen, etsi Reo fiat injuria, tamen tale testimonium non est causa efficax damni, quia jam erat illata, inde non datur obligatio ad restitutionem.

Secundò, Pitigianus citatur, cum Caietano 2. 2. q. 70. artic. 4. Petro à Navarra lib. 2. c. 9. n. 253. cum aliis, quod qui deposuit falsum non scienter, nec ex lata culpa, sed ex inadvertentia, vel oblivione, ratione ejus damnum contigit, quod iste non tenetur ad restitutionem, non ratione rei acceptæ, quia nihil recipit, ut suppono, vel ratione injuriæ, vel damni, quia cum ignoranter intulerit tale damnum, non fuit prævisum, & ideo non peccavit, ut tenent Lessius lib. 2. cap. 1. dub. 6. Becanus 2. 2. de justitia, & jure q. 75. de testibus q. 5. conclus. 2.

Certa conclusio, qui scienter, & notabili negligentia dedit testimonium falsum, tenetur ad restituendam famam, & totum damnum illatum; & ratio est manifesta, quia per injuriam fuit causa totius damni, quod Reus patitur. In hac conclusione conveniunt omnes Theologi, ac Canonistæ, proindeque si fecit scienter, ac cum notabili negligentia tenetur ad restituendum totum damnum; si verò fecit, aliqua levi, vel mediocri culpa, seu negligentia tenetur ad restituendam partem damni. Ita Sorus lib. 5. q. 7. art. 4. Navar. cap. 25. n. 4. Sanchez tom. 1. consil. lib. 6. cap. 5. dub. 21. n. 4. Fagundez in 8. præcept. Decalog. lib. 8. cap. 42. num. 2. M. Lezana tom. 4. verb. Testis, num. 4.

Questio tamen est, an iste falsus testis teneatur suum dictum retractare, quando ratione sui falsi testimonii, mors, mutilatio, vel aliud grave damnum est inferendum, ad quod dicimus maxime teneri, si id profuturum putat, quamvis sibi simile poenæ periculum timeat: nam unusquisque tenetur

17. Diana.

18. Pitigian. Diana.

19. Pitigian.

Lessius. Becanus.

20.

Sorus. Navar. Sanchez. Fagundez. Lezana.

21.